



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorvm

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

2. Diligentia in nouitiorum instructione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-50980)

De diligentia in nouitiorum instructione.

CAPVT II.

Circa nouitios debet qui congregatiōni praeest diligentiam magnam habere. Matrem se debet eis exhibere, benignitatem ostendendo, ut eum non refugiant: sed ad eum tanquam ad sinum matris recurrent. Si verò in negotiis occupatus non potest intendere eis, mittēt debet eis assignare fratrem, scilicet aliquē discretum, maturum, benignum: qui eos custodiat, munditiā eorum intendant, cibo spirituali eos frequēter pascat, imbecillitatem eorum sustentet, necessaria eis ministrat. Habenda est diligentia circa nouitios: tanquam circa paruulos. Custodiendi sunt à periculis, igne, aqua, fouea. Monendi sunt ad patientiam contra mala pœnæ, ne igne iræ bona spiritualia amittat. Qui impatiens est sustinebit damnum. Monendi sunt *Pro. 19.* ad temperantiam: ne in aquam voluptatis se immergant. Vult Pharao paruulos in flumine proiici. Item monendi sunt vt à fouea illa ca- *Exod. 1.* ueant: in quam toties lapsi sunt. Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo. Munditiā eorum debet intendere. De modo confessionis diligenter sunt instruendi. Ante professionem confessiones eorum debent recipi. Ad frequenter confitendum sunt monendi: vt omni tempore sint candida eorum spiritualia vestimenta. Circa nouitios primo nitendum est peccatis amouendis: ne seratur super spinas. Nolite se- *Hier. 4.* rere super spinas. Spinæ sunt peccata quæ pungendo mentem cruciant: crescendo cum segete

T 2 bono-

bonorum operum eam suffocant: & incendio
infernali materiam ministrant. Primo faciendo
est amotio spinarum istarum: & si postea ire-
rum crescant, non est negligenda illarum extir-
atio. Vnica enim spina mortalis peccati, sege-
tem bonorum operum & vineam viri stulti de-
struit. Per agrum hominis pigri transiui, & ecci-
totum repleuerant vrticæ, & operuerant super-
ficiem eius spinæ. Nouitiis spiritualis cibus fre-
quenter est ministrandus, quo & nutriantur &
augeantur. Quod insinuatur Ioan.vlt.Vbi Sal-
uator bis dixit Petro: Pasce agnos meos. Tri-
genera hominum non possunt esse diu sine cibi
sumptione, quin grauetur: scilicet paruuli pue-
ri, conualescentes à graui infirmitate, & itine-
rantes. Quasi paruuli pueri sunt nouitij, qui
nondum per annum vitam religiosam dux-
runt: quibus multum cauendum est, ne cibi spi-
ritualis defectum patientur. De quo defecto
multum dolendum esset & plangendum, iuxta
illud: Paruuli petierunt panem, & non erat quod
frangeret eis. Ipsi laborauerunt non vna gra-
uitate solum, sed multis: Ideo necesse est
frequentiter refici: ut vires resumant. Cum ac-
cepisset cibum, confortatus est. Ipsil longam ve-
ram & grauem, scilicet in cœlum, quæ valde
dua est, aggressi sunt: ideo reficiendi sunt fre-
quenter ne in ea deficiant. Si dimisero eos ieiunia
nos in domum suam, deficient in via. Nouitiis
rum tanquam paruolorum imbecillitatem de-
bet qui eos regit supportare, defectus eorum
patienter sustinendo: in temptationibus eorum
eos consolando: adiutorium diuinæ gratiæ,

Pro. 24.

Tren. 3.

Acto. 9.

Matth. 16.

rationibus suis eis impetrando. Debemus nos *Rom. 13.*
 firmiores imbecillitates infirmorum sustinere,
 & non nobis placere. Congregabit agnos: & in
 sinu suo leuabit. Status nouitiorum est tractabi-
lisi. 40.
 lior, sicut virga trabe est flexibilior: ideo direc-
 tioni eorum cura multa est adhibenda. Tem-
 pore nouitiatus in psalmodia & officio diuino
 diligenter debent studere: & in regula, & in sta-
 tutis ordinis, secundum quæ necesse habent vi-
 uere.

Quod nouitij non sunt leuiter ad professio-
nem recipiendi.

CAPVT III.

Nouitij non sunt leuiter ad professionem
 recipiendi. Leuiter recipiuntur cum de-
 moribus eorum ante professionem experientia
 non habetur: Vel cum ea ad quæ in professione
 se obligant, eis ante professionem non expo-
 nuntur. B. Benedictus in regula sua dicit, vt no- *Cap. 58.*
 uitio post duorum mensium circulum legatur
 regula per ordinem: & dicatur ei. Ecce lex sub
 qua militare vis: si potes seruare, ingredere. Et si
 adhuc steterit, post sex mensium circulum rele-
 genda est ei regula: vt sciat ad quod ingreditur.
 Et si adhuc stat, iterum post quatuor menses le-
 genda ei. Prohibuit Dominus, Ne animal cœ-
 cum offerretur ei. Cœcum animal Deo offer- *Lexis. 22.*
 tur, quando aliquid Deo promittitur: & quid il-
 lud sit, nescitur. Quod aliquis leuiter ad profes-
 sionem recipitur, quandoque accidit ex super-
 bia recipientium, qui verecundantur quod ali-
 quis qui ad eos ingreditur ad seculum reuerta-

T 3 tur.